Ordinis medici lenensis h.t. decanus Ernest. Antonius Nicolai praenobilissimi medicinae doctorandi Friderici Ludovici Heroldt ... publice habendam indicit praemissa commentatione de usu aquae frigidae externo. III.

Contributors

Nicolai, Ernst Anton, 1722-1802. Heroldt, Friedrich Ludwig, 1756-Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Ienae: Typis Stranckmannianis, [1783]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/bwp7n2gd

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org

ORDINIS MEDICI IENENSIS

H. T.

DECANVS

ERNEST. ANTONIVS NICOLAI

PRAENOBILISSIMI MEDICINAE DOCTORANDI

FRIDERICI LVDOVICI HEROLDT

VINARIENSIS

DIE VIII DECEMBRIS CIDIOCCLXXXIII.

PVBLICE HABENDAM

INDICIT

PRAEMISSA COMMENTATIONE

DE

VSV AQVAE FRIGIDAE EXTERNO.

IENAE

TYPIS STRANCKMANNIANIS.

ORDINIS MEDICI IENENSIS

T - H

DECANVS

ERNEST: ANTONIVS NICOLAI

PRAENOMIASSIMI MEDICINAE DOCTORA, DI

FRIDERICI LVDOVICI HEROLDT

VINARIENSIS

BIR VIR RECENTAL COOLOGERANTIL

Control of the second

MEGNETAR BULLDEN

PEACHISIA, FORMALINEAUTONE.

30

VEV AQVAE PRIGIDAE EXPERNO

IENAE

THE STREET WARREST WARREST



of spiritibility series the or in law

Nondum ad finem perduxi casuum, quibus vius aquae externus profuit, enarrationem praecedente coeptam programmate, eamque in hoc persequi placet. Experientissimus D. D. Pietsch a) omnes erysipelatis species aqua frigida in partibus affectis saepius ad imponendum et lavandum adhibita longe minori cum dolore et molestia sanatas confirmat. In cutis inflammationibus et excoriationibus infantili aetati familiaribus vel ex longiori decubitu ortis nil magis conducit, quam frequens lavatio frigida multumque

wahre Quelle und materielle Ursache vom Podagra und aller gichtischen Krankheiten überhaupt. Halle 1772. S. 295.

que antecellit cerussae lycopodii aliorumque absorbentium vsum. Saepius laudatus HAHN 1. c. se in febre putrida gangraenosa ex decubitu inflammatos viu fomentationum frigidarum sanasse refert idemque Clarissimus Wohlleben in dissertat. de gangraena generatim et in specie de illa, quae a decubitu oritur, de frigida aqua praedicat. Partes frigore emortuae optime curantur, dum nive fricantur vel nive et aqua gelidissima teguntur, id quod illustris Tissor b) et celeberrimus Theden c) testantur. Pernionibus pedum manuumque, nisi exulcerati sint, iisdem frigidis epithematibus occurrendum est. Immittendi sunt quotidie digiti in aquam frigidam, vsque dum tumor pruritus et rubedo cessent. Saepius laudatus D. D. DAVTER his remediis inflammationem lentam chronicam, quae subest, discuti putat, dum frigus vascula roborat, quae roborata sanguinem tam reprimunt quam propellunt. Non vero in ista solum gangraena, quae a frigore et longiori decubitu proficifcitur, sed in ea etiam, quae a vi vitali imminuta, quae motum humorum imminuit, eorum stasin et corruptionem pro-

b) Anleitung für das Landvolk. S. 490.

c) Neue Bemerkungen und Erfahrungen zur Bereicherung der Wundarzneykunst und Arzneygelahrheit, S. 187.



producit, sive ex nimia rigiditate, vt in senibus, sive ex vaforum atonia five ex valida partium concustione oriatur, aqua frigidissima vel nix applicata, vsque dum sat valida inflammatio et suppuratio id, quod gangraena corruptum est, separet, vsu destituitur, quia irritat, vim vitalem excitat atque auget et roborat, quin in omni gangraena, vbi partis sphacelosae separatio ob deficientem inflammatoriam conditionem rite succedere non potest, iisdem ex rationibus prodest aquae frigidae applicatio. Quam salutarem denique effectum in morbis putridis et catarrhalibus, haemorrhagiis tam internis quam externis sistendis, rheumatismis, arthritide et podagra, herniis incarceratis et cirfocele, iridis, ani, vaginae et uteri prolapsibus, animi deliquiis, paralysi, doloribus capitis et vertigine, oculorum morbis et opthalmiis, quae a debilitate nascuntur aut foventur, eryfipelate, inprimis habituali, luxationibus et contufionibus ad tumores discutiendos et ligamenta roboranda, variis ventriculi et intestinorum affectibus ex eorum debilitate aut atonia ortum trahentibus, denique in ulceribus laxis, fluore albo et gonorrhoea benignis, oedematofis, scrophulosis aqua frigida applicata exferat, egregie expofuit ante laudatus D. D. DAVTER in sua citata dissertatione, ad quem benevolum lectorem remitto. placuit

-

Placuit haec praemittere occasione actus sollemnis publice intimandi

PRAENOBLISSIMI MEDICINAE

DOCTORANDI

FRIDERICI LVDOVICI HEROLDT

VINARIENSIS,

qui sequens curriculum vitae et studiorum exhi-

reeratis et cirfocele, inidis-Ego FRIDERICVS LVDOVICVS HEROLDT primam hu-ius universi lucem adspexi Vinariae die IV. Aprilis, anno millesimo septingentesimo quinquagesimo sexto. Patrem veneror IOANNEM CHRISTOPHORVM HE-ROLDT, Serenissimi Ducis Saxo - Vinariensis et Isenacenfis Chirurgum aulae et cohortis, et matrem Ioan-NAM ELISABETHAM, IOANNIS THEOPHILI SCHOEN-WALTER, Sereniff. Divi Ernesti Augusti Ducis Saxoniae Chirurgi primarii filiam. Optimi hi parentes omnem navarunt operam, vt primis rudimentis religionis christianae et litteris humanioribus rite imbuerer, quam ob rem me privatis institutionibus virorum claristimorum Nevbert, h. t. Pastoris Osmanstaedtiensis et Hartungii h. t. Collegae V. Scholae Norduhsanae tradiderunt, et satis instructus illustre Gymnasium Wil-

Wilhelmo - Ernestinum, quod floret Vinariae, frequentavi, ibique institutionibus celeberrimorum Virorum Carpovii et Frickii jam dudum inter coelites triumphantium, Heinsii, Noldenii, Mysaei et Lippoldi frui mihi licuit, quibus pro fingulari in me benevolentia maximas, quas possum, habeo gratias. Ita ad altiora praeparatus Ienam petii anno millesimo septingentesimo septuagesimo quinto, et a Viro illustri Consiliario aulico et Professore Iuris ordinario Schmidio tunc fasces Academiae tenente in numerum civium academicorum sum receptus. Primum praelectiones philosophicas Illustris Hennings, mathematicas Illustris Wideburgii et physicas Illustris Succow et Dom. Dolt. Hambergeri frequentavi. In historia naturali audivi Confiliarium aulicum Illustr. WALCHIVM jam diu ad sidera vocatum. In physiologicis Illustrem GRVNERVM habui praeceptorem, in pathologicis, pra-Eticis et medicina forensi Illustrem NICOLAI, fautorem meum maximopere colendum. In anatomicis Illustris NEVBAVERVS, cujus cineres valde veneror, et Dom. Doctor Schenkivs me erudivit. Finito medicinae cursu in patriam redii, quo facto Ducatus Saxo - Vinariensis Statuum provincialum jussu Hannoveram sum missus, ubi praelectionibus artis veterinariae RESSINGII, Hippiatri et V eterinarii regii supremi maximo cum fructu et summa voluptate interfui, milique valde gratulor, has doctrinas ex eius ore hausisse. Praeceptoribus hisce omnibus meis maximas, quas possum, ago gratias, iisque omnia, que ad salutem et incolumitatem spectant, a Des ter optimo maximo praecari numquam omittam.

Ad examina admissum Praenobilissimum Dominum Candidatum dignum censuimus, qui summis in arte nostra, quos petiit, honoribus exornaretur. Ad quos rite capessendos die viii. Decembris me Praeside suam dissertationem de curatione morborum per vatores publice defendet. Splendidam huius diei opto festivitatem atque eapropter PRO - RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS CO-MITES, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTOS, PRO-CERES VTRIVSQUE REIPVBLICAE GRAVISSIMOS, GE-NEROSISSIMOS AC NOBILISSIMOS DOMINOS COMMILI-TONES, HOSPITES OMNIVM ORDINVM HONORATISSImos observantissimis ac humanissimis rogo precibus, vt sua praesentia hanc solemnitatem splendidiorem reddere velint. P. P. sub sigillo ordinis medicorum. Ienae. d. xxx Novembris CIDECLXXXIII.

